

ᚴᚢᚦ ᚼᛁᛅᛒ

ɔ: Got help / Gud hielp / Deus adjuvet. (†)

(†) Inscriptio Monumenti cujusdam Lundensis in Scania. Worm. Mon. Danic. pag. 143. 144.

# LEXICON ISLANDICUM

*Sive*

# GOTHICÆ RUNÆ

*vel*

## Lingvæ Septentrionalis Dictionarium

[partim prout hoc Idioma in Vetustis Codicibus & Antiqvis Arctoum Documentis incorruptum ac inviolatum manet residuum; partim qvatenus hodiè apud Gentem Norvegicam in extrema Islandia sartum tectum in qvotidiano loqvendi usu & scribendi remanet modo: Inserta porrò sunt multa Vocabula neoterica & à peregrinis Lingvis mutuata, qvæ subinde in usu esse coeperunt: Adjecta tandem est non rarò Vocum probabilis Origo, & cœteris cum Lingvis convenientia]

*in gratiam eorum qvi archaicum Gothicæ gentis amant sermonem qvâ fieri potuit diligentiâ concinnatum, adornatum, & scriptum*

à

GUDMUNDO ANDREÆ ISLANDO

&

nunc tandem in lucem productum per

PETRUM JOHAN. RESENIUM.

*HAVNIÆ.*

Typis CHRISTIER. WERINGII Typog. & sumptibus CHRISTIER. GERHARDI Bibliop.

M. DC. LXXXIII.



# CENSURA.

IN Lexico hoc Islandico, per Nobiliſs. & Ampliſs. Præſidem Regiæ hujus Metropolis, Dn. Petrum Reſenium, in Collegio Juſtitiæ Conſiliarium, è tenebris ſollicitâ curâ eruto nihil mihi obſervatum eſt, vel Legibus Patriis, vel bonis moribus adverſum; ſed plura illuſtrandæ Boréi Orbis antiqvitati opportunè convenientia, eoq; digna, qvæ typorum miniſterio in Curioſorum manus propagentur. Hafniæ 22. April. Anni 1683.

OLAUS BORRICHIUS.



## Petri Johann. Resenii Præfatio ad Lectorem.

PRodit nunc tandem in lucem LEXICON ISLANDICUM GUDMUNDI ANDREÆ ISLANDI, post ejus obitum publicâ auctione à me Ann. 1665. comparatum, cujus Gudmundi qvalemcunq; (qvemadmodum ex ipsius Sympatriotis percipere licuit) vitam heic apponere mihi visum est. *Gudmundi Andreæ.*

*I. Parentes, Patria, & Villa, ex qva olim famosus Athleta Gretterus prodiit, de qvo Arngrimus in Crymogæa.*

Gudmundus Andreæ parentibus honestis, sed rusticis ex legitimo matrimonio in lucem editus est, in Villa qvadam Provinciæ Midfiordensis, qvæ Biarg nominatur, subjacetq; Diœcesi Holandiæ septentrionalis Islandiæ. Ex hac eadem Villa olim prodiit insignis & famosus ille Athleta, alter ille Milo Crotoniensis, *Gretterus* Asmundi Hærilangi filius, qvi arctiore cognatione celeberrimum Norvegiæ Regem *Olaum Crassum* (aliàs *Sanctum*) attigit, cujus *genealogiam* Arngrimus Jonæ Islandus in Crymogæa *lib. 2. pag. 179.* exhibuit, qvæ ita se habet:

Ofeigus Bullufior ɔ: *loripes* vel *valgus.*

| | |
|---|---|
| Omundus Ligni-pes: eo qvod cum pulcricomo naumachiâ confligenti pes amputatus esset, unde & Grallis uti necesse habuit. | Gudbiarga. |
| I | |
| Thorgrimus Hæri collur ɔ: *cano capite.* | Gudbrandus. Kula. |
| I | |
| Asmundus Hæri-langur ɔ: *co-* | Astrida. |



mitatus

| | | |
|---|---|---|
| *mitatus* vel *capillatus*, Dominus de Biarga in Midfiord. | I | |
| I | | |
| Gretterus Robusti cognomen adeptus: cujus labores, veluti Herculis alterius adhuc visuntur: Saxa nempe immania, loco mota, minoribus saxis undiq; suppositis; qvod verisimile est eum machinis qvibusdam, non solo corporis robore, præstitisse. Vixit is Olao Crasso consangvineo suo Synchronos. | Olaus Haraldi Crassus Rex Norvegiæ ab An. C. 1015. ad Ann. 1030. *Svan. Chron. Dan. pag. 70.* | Haraldus crudelis Rex Norvegiæ. |

*& Olaus Wormius in Lexic. Runic.*

*Hæc Arngrimus.* Olaus qvoq; Wormius ejusdem *Gretteri* aliqvalem *historiam in Lexic. Runic. pag. 44. & seqv.* summatim expressit hisce verbis: Erat inter Islandos olim Gretterus qvidam Asmundi filius, genere & multis eximiis facinoribus peregrè & in patria clarus, Vir sapiens, sed fortunæ iniqvitati nimium obnoxius. Is ab hoste potentiore haud justè exilio mulctatus, in Islandiæ nihilominus desertis & absconditis locis usq; in annum vicesimum se continuit. Interea temporis solitariæ mansionis pertæsus, ad Ludos publicos, qvi in Provincia Skagefiordensi, Hægranes dicta, celebrabantur, venit, pannosusq; ne agnosceretur prope reliqvos inter tabernas sedit. Aderant haud pauci Magnates, qvi in caput ejus conjuraverant. Qvi autem Ludis maximè præfuit *Thorberno* vocabatur, vir clamosus & vehemens; hic qvemlibet arreptum humeros nolentem volentem ad luctandum è sede pertraxit. In isto ludentium agmine erant fratres duo adeò robusti, ut non inveniretur qvi cum singulis eorum nisi victus in arenam descenderet. Cœpit igitur Thorberno diligentiùs circumspicere, & multitudinem lustrare, tandemq; ad Gretterum, inter extre-

extremos ſedentem, pervenit, & apprehenſum uti reliqvos erigere conatus eſt, ſed ille inſtar ſaxi immobilis manſit: Nemo, inqvit Thorberno, hodie mihi tam gravis exſtitit; Ecqvod tibi nomen eſt? (nam facies ejus benè videri non potuit.) *Geſtus* (ɔ: hòſpes) vocor, inqvit Gretterus: Eris hoſpes acceptus, ait alter, ſi ludere velis & luctari. Ut homo peregrinus, ſpectator huc adveni, inqvit Geſtus, non luctator: Urgente acrius Agonothetâ pacem ſibi ſtipulatione manuum dari petiit Geſtus, priusqvam ludis ſe ingereret, qvod ignotus eſſet & inter ignotos. Huic Geſti voto primus annuit & annuere alios fecit vir qvidam magnæ authoritatis diſertus & verboſus, nomine Hafur ɔ: *Caper*, unus ex Gretteri conjuratis; pacemq́;; deinceps hâc qvæ ſeqvitur verborum notabili formulâ conſtituit:

Hier ſet eg grid allra manna i millum ein kanliga ad tilnefndum Þeßum ſama gieſte er hier ſitur/ og ad underſkildum Øllum Godords Monnum og Bændum og ſo allri alþydu ungra manna og vopnfærra; Jeg og allerhierads menn i Hegranes Þyngi eda huadan huor er adkominn nefndra manna edur onefndra; Handſølum/ grid og fullam frid/ komu manne hinum okunna er Gieſtur nefniſt; til gamans og glymu til glæde allrar til hiervíſtar og heimferdar huort er hann Þyrfte ad fara à løge eda lande eder flutuinge/ ſkal hàm hàfa grid i Øllum ſtødum nefndum og onefndum/ ſuo leingi ſem hann Þarf til heillrar heimkomu ad høldnum gridum og tryggdum/ ſet eg Þeße grid fyrer os og vora frændur vine og venſla-menn ſuo komur ſem karla Þyiar og Þræla/ ſveina og ſialfrædis menn / ſie ſa Gridnidungur er grid riifur/ edur trygdum ſpiller Rækur og Rekinn fra Gudi og godum Mønnum/ vr Himna Ryki og fra Øllum Guds Helgum og Huorge hæfur manna a mille/ og ſie fra Øllum ut flæmdur ſem menn vydaſt varga Reka/ edur Chriſtner men kyrkiur ækia/ heidner menn hof Bløta Elldur Brennur / Jord grær/ mælt Barn mødur kallar og mødur mog fæder/ allder Ellda Kinda/ Skip Skridur / Skilder blika/ Søl Skyn aſumar Sniøleggur a land Þetta/ um vetrar nøt/ finnur Skridar/ Fura vex/ valur

ſtigur vorlangann daginn og ſtandi honum beinn byr under bäda vǽngi/ til Himin huerſur/ heymur er bygdur/ vindur veiter vatn til Siøár/ Karlar Korne Sá/ hann ſkal ſyrraſt kyrkiur og kiennemenn/ heidinna hæle/ huß og hella/ heim huorn nema. Helvyti. Nu ſkulmu vier vera Sätter og ſamnmála huor vid annann i huga gødum/ huar ſem vier finnus/ a fialli eda fioru/ Skipe edur Skyde/ Jiørd eda Jøkle/ i hafe edur a heſtbaki/ ſo ſem vin ſinn huor finne/ edur Brodur ſinn a braut hitte/ Jafn Såttur huer vid annann ſem ſem Sonur vid Faudur eda Fader vid Son i Samførum Øllum/ nu leggium vid hendur ſaman og aller vær og høldum vel Gridin og Øll Þeße Ord tolud i trygdum at vitne Guds og godra Manna og allra Þeirra er Ord mijn mega heyra og ad nockru er nær ſtaddur.

*Hæc verbotenus reddita ſic fere habent.*

,, Hic pacem ſancio inter omnes homines, præſertim nomi-
,, nato hoc Geſtero, qvi hic ſedet & ſubintellectis etiam cunctis
,, Nomarchis, colonis & omni vulgo Juvenum armipotentum,
,, ego & omnes provinciales in Hegra-Neſenſi foro vel undeqva-
,, qve qvis advenit, nominatorum virorum & non nominato-
,, rum ſpondemus (conjunctis manibus pollicemur) inducias &
,, plenam pacem advenæ ignoto, qvi Geſterus vocatur, ad jocum
,, & Luctam & lætitiam omnem (exercendam) ad manſionem
,, hic & domum remeationem, aut qvocunqve, opus fuerit ire
,, mari vel terrâ aut vectura, habebit pacem in cunctis locis no-
,, minatis & innominatis qvantum indiget ad integrum ad ſua
,, reditum pace & fide præſtitis. Has inducias pono pro nobis,
,, noſtris cognatis, amicis & affinibus tam fœminis qvam viris, an-
,, cillis & ſervis, miniſtris & ſui Juris hominibus; Sit fædiperda,
,, qvi pacem hanc violat & fidem datam corrumpit, rejectus &
,, expulſus à Deo & omnibus bonis ex Regno cœlorum & ab omni-
,, bus Sanctis Dei, nusqvam habilis homines inter, tamqve (Latè)
,, à cunctis eliminatus qvam latiſſimè homines feras crudeles abi-
,, gunt (abactas volent) aut Chriſtiani templa viſitant, Ethnici de-
,, lubra colunt; ignis ardet, terra viret, loqvens infans Matrem
appel-

appellat, & mater filium parit, vulgus focum accendit, navis ser- "
pit, clypei micant, Sol in æstate splendet, Nix premit hanc natio- "
nem hybernâ nocte. Finnus percurrit (aliqvis ex Finnis, qvi cor- "
pus exuere & sic latè circumvagari putatur) fagus crescit, & Falco "
volat verna die (qvæ nimirum longissima est) spiret ipsi directus "
ventus secundus sub ambas alas, eo qvà cœlum fugit (à conspectu "
sub Horizontem) Mundus colitur, ventus ducit aqvas ad mare, "
Agricolæ semen seminant (sementem faciunt) is procul esto à "
Templis & Sacerdotibus, Ethnicis Asylis, domibus & antris, & à "
mundo qvolibet nisi inferno. Nunc erimus reconciliati & con- "
sentientes ubicunqve convenerimus, in monte aut littore, in "
Navi vel Navtis, in Terra sive nive, in æqvore aut super eqvi dor- "
sum; qvasi amicum qvilibet inveniat, aut fratrem in semita ob- "
vium habeat, æqve concors qvisqve cum alio ac filius cum patre "
& pater cum filio; in communibus itineribus cunctis. Jam "
manus conjungimus Tu & Ego Gestere, & nos omnes, observe- "
musqve bene inducias, & omnia hæc verba, prolata bona fide, "
teste DEO & bonis viris omnibusqve eis, qvi verba mea audire "
possunt & aliqvatenus propinqvi sunt. "

Ut autem hujus Stratagematis eventum obiter attexam, Gretterus depositis exterioribus illis pannosis & laceris exuviis in Theatrum prodiit, & ab omnibus agnitus est, liberali ut erat forma, heroico corpore, magnitudine reliqvis præstantior: Ibi adversarii obmutescere pudefieri & variè affici, qvum hostem in manibus suis haberent; Sed Gretterus illos Rhythmo delusit, cujus hoc finale est:

Hão bilar erd ad halloa af dro slasur af hafre.

ɔ: *Fidem datam non servant*; *desiit nugari caper*; qvod ad- "
huc in Proverbio usurpatur, qvando loqvax aliqvis rationibus convictus obmutescit, (Asdregur slasur af Hafre.) Post luctas adeò strenuè absolutas, ut ne robustissimi illi fratres, qvorum uterqve duorum fortium virorum robore pollere dicebatur, ambo simul Grettero prævalere non potuerint; ad suum propugnaculum ob pacis constitutæ Religionem liber reversus est: Cu-

jus ideo memini, ut appareat qvam sanctè pacem datam servarint illius seculi homines, & præter intentionem. Causa etenim, cur Gretterum sublatum voluerunt Magnates illi, hæc erat; qvod illis annis sui exilii in Insula qvadam (Drang-Ey) sinus Skagafiord sita, & ob saxa prærupta undiq; nisi uno in loco per scalas, inaccessa cum fratre Illugo se contineret & tueretur, ut propterea Insulæ possessores, qvorum præcipui erant vicini primores Gretteri tunc in conspectu habentes omni ejus utilitate carere cogerentur. *Hactenus Wormius, qvi hæc ex Gretteri historia Islandicè scriptâ, Gretla nominatâ, collegit qvæ creberrimè in prædicto Lex. Run. Wormii citatur & ex ea varia de Grettero sparsim allegantur.*

*II. Annus Nativitatis.* Qvô verò præsentis seculi Annô Autor noster natus sit, nulli ex ipsius compatriotis, qvi impræsentiarum præstò est, exactè constat.

*III. Educatio.* Scholam Cathedralem Islandiæ Holanam freqventasse certum est, indeq; non absq; honestè transactæ vitæ testimonio tunc demum dimissum, cum talem profectum edidisset, qvalis ab iis, qvi inde ad almam Metropolis Regiæ Hafniensis Academiam ablegantur, reqviri solet. Sed cum per fortunarum angustias nimisq; curtam domi suppellectilem ad transmarina Camœnarum Mysteria proficisci non posset, ad rei familiaris administrationem Matrisq; jam viduæ & totius familiæ sustentationem animum advertere necesse habuit; qvibus tamen haudqvaqvam passus est se à liberalium artium studiis tantopere abstrahi, qvin ingenium, Musis & Apollini sacrum, ingeniosissimorum utriusq; Ordinis virorum conversatione & subtiliorum disqvisitionum exercitio subinde acueret, nec hoc pabulo ignea acris ingenii vis sustentari contenta est, nisi suarum etiam lucubrationum aliqvod monumentum relinqveret.

*IV. Scripta & qvidem 1. De Polygamia.* Igitur scriptô haud jejunô tritam aliàs controversiam movere ausus est de Polygamiæ licentia, sive potius, num liceret concubina uti viro qvi duceret, aut ei qvi nullo conjugii vinculo constrictus esset, sive alteri horum, sive neutri; id qvod

innuisse

innuisse videtur Commentario in Wöluspa *ad Stropham 39. pag. 68.* ubi hanc Thesin per digressum ex necessitate delibat & his verbis concludit: *Sed male metuo ne vapulem, ipse perpende*; qvasi periculum qvod antea ipsi ex hoc scripto de Polygamia imminebat, in memoriam revocaret. Cùm verò rationibus in speciem qvidem haud absurdis adstrueret, nec veteri, nec novo Testamento concubinatum interdictum, invectusq; deprehenderetur in Constitutionem qvandam publicam Islandorum, Stoore-Doomur appellatam, authoritate Regiâ confirmatam, qvâ adulteriis, incestibus, & fornicationibus sub certa pœna cavetur, crimen magis notorium commisisse existimatur; cumq; sui muneris existimaret vir admodum Reverendus, nec unqvam satis laudatus Thorlacus Schulonius, Diœcesis Holanæ id temporis Episcopus, illud qvod mali exempli futurum cerneret, cui certa pœna ex præscripto juris irrogari non posset ad superiorem Magistratum referre, Præfecto Regio, illustrisſimo Dn. Henrico Bielcke/ scriptum illud exhibuit & Gudmundum nostrum unà, qvi horum securus multorum milliarium iter ad Comitia totius Islandiæ anniversaria emensus præter opinionem illicò ex Præfecti Bielcke mandato custodiæ mandabatur.

Anno enim 1649. in Junio in Islandia celebrabantur Comitia totius Islandiæ anniversaria, qvæ communiter Al-Ting ɔ: *omnium forum* sive *generale forum* vocantur, sed veriùs Oxar-Ting ɔ: *securis forum*. Nam in montibus generali foro adjacentibus spelunca qvædam jacet, Joru-klef (ɔ: *Joræ spelunca*) appellata, in qva fœmina Gigas, nomine Jora, sepulta est. Erat autem Athleta qvidam Islandus, qvi in Norvegia peregrinatus fuerat, & Securim qvandam ex Olao Rege Norvegiæ dono acceperat. Hic in Islandiam iterum delatus, securim istam humeris Lamiæ infixit, & Lamia securim, sed Athleta manubrium obtinens tale de ea carmen cecinit:

Olafur gaf mier Oxi/
*Olaus dedit mihi securim*,
Olik var hun kroki/
*qvæ dissimilis fuit unco*,

Eg

Eg felldi hana nidur i frosti
*Ego amisi eam tempore hyemis*
Fanst med aungvum kosti
*Inventaq; est nullo modo*
Verpadi vinur minn eptir
*Secutus est amicus meus*
Veit eg hann fer ad leita
*Scio illum qvæsitum ire*
Nu hafa fræger fundit
*Nunc celebres invenere*
Frod Oxene gǫda.
*Sapientis Securim bonam.*

Lamia vero prædicta cum securi humeris infixa, in stagnum, qvod Foro Generali adjacet, se projecit: Qvô auditô, Rex Olaus præcepit locum, in qvo securis inveniretur, *Forum Generale* vocari, qvod etiam factum est, & inde Oxerár-Þing vocatum. Notatu dignum est, qvod Incolæ ad al-Þing citati non parent, qvia al-Þing *omninm forum* significat, sive ubi *omnes* parere debent, idq; ajunt extremum esse judicium; sed ad Oxarár-Þing citati, Edicto semper parent.

Prædicta Islandiæ Comitia in Homagii festivitate Friderico III. Regum Principum Sapientum summo optimo maximo die 29. Jun. exhibita fuêre.

Referunt petiuisse captivum nostrum Gudmundum ut ex patrii Juris præscripto secum procederetur, neq; enim legibus consentaneum esse ut citra inferioris Magistratus cognitionem ad Superiorem Curiam, nedum extra Patriæ limites ad causam dicendam qvisqvam compellatur. Nec aliam Serenissimi Regis mentem esse, qvàm ut jura subditis sarta tecta servare velit, cum id omnibus & singulis nuperâ ad Islandos scriptâ Epistolâ clementissimè pollicitus fuerit. Verùm Bielkius cum eodem anno non solùm Præfectus Islandiæ constitutus esset, sed etiam Serenissimi Regis Legationem unà cum Gabriele Achelejo obiret, utpote Gloriosissimi Regis nomine fidelitatis Juramentum

ut

ut exigeret in mandatis habuit, cognitô, qvòd neq; ex Jure Islandiæ Municipali neq; Edictis Regiis aut publicis Constitutionibus qvicqvam exactè hac in causa decerni posset, illum secum in Daniam avexit. Qvò cùm pervenisset, in carcerem Blaataarn dictum (qvi Arci Regiæ Hafniensis contiguus, turritus, & tribus coronis insignis, gravioris notæ criminum reis hospitium destinatus conspicitur) conjectus est. Nec tamen adeo strictè habitus est, qvin liceret ultrò citroq; intra turrim divagari, id qvod ipsi tandem saluti fuisse constat. Nam cùm ignotus, egens, & omnium Patrocinii inops non haberet, qvi ejus nomine ad judicium provocaret, fortuna ipsi viam aperuit. Cùm enim nocte qvadam sursum deorsum per turrim ~~curriffe~~ exspatiaretur, sydera suo cœlo rutilantia contemplari cœpit, qvorum dulcedine captus, dum corpus per fenestram inconsideratiùs exereret, præceps ex turri ruit ante ostium, ubi Regii Liberi enutriebantur, sed absq; ullo sui damno & corporis noxa. Ut verò se colligebat, in proximum Palatium se recepit, ubi nam esset, qvove pergeret penitùs ignarus. Non exiguus terror nutricibus totiq; Gynæceo injectus est, ut viderant nocte concubia hominem habitu Rustícano & sqvalido, apertis foribus, ad se ingredientem eò, qvò multis aliàs ex famulitio Regio aditus non pateret. At cùm magis ex nutu qvàm sermone (nondum enim callebat Lingvam Danicam aut Germanicam) conjicerent, qvod unus ex captivis esset, major trepidatio oborta est, verita ne forte omnes captivi, carcere elapsi, grande qvod-dam scelus machinarentur. Sed postqvam planum erat, qvod hic miser & consilii inops majori formidine teneretur, qvàm ipsis antea incusserat, custodem Arcis arcessendum curârunt, qvi ut rem totam ordine percepit, & insuper qvod unicè expeteret, ut turri, unde exciderat, iterùm includeretur, voti eum compotem reddidit. Postridie nocturnus tumultus, & mulierçularum trepidatio ad aures Regis pervenit, qvi, accitô Gudmundô, causam, cujus reus habitus est, percepit. Scriptum igitur, qvod exercitii tantùm gratiâ *Scripti hu-*

 (eò *jus interpre-*

*tes Latini* (eò qvòd in Patriâ publica exercitia nulla essent) conscripsisse perhibuit, per duos ipsius Sympatriotas in Latinum Sermonem converti imperabat. Exposuit illud Mag: Runolfus Jonas is, qvi Grammaticam Islandicam primus conscripsit & postea Rector Scholæ Christianstadensis in Scania factus est, & Paulus Halleri vir doctus, qvi deinde illustris viri Dn. Georgii Sefeldii Regii Senatoris & Judicis Provincialis Selandiæ Bibliothecarius, & deniq; Harrestadii in Selandiæ Pastor fuit, supremumq; diem ante viginti annos clausit. His interpretibus indutus veste Romanâ Autoris nostri præmaturus fœtus Excell. S. S. Theologiæ Professoribus perspiciendus traditur, qvi nihil enorme, aut ullam culpam in Regiam Majestatem commissam ut animadverterant, parum sceleris illum coram Rege pronunciabant. Igitur Gudmundus noster non solùm absolutus verùm etiam ob ingenii acumen, qvod illud scriptum redolebat, Anno 1650. Civitate Academicâ, & Communitate Regiâ donatus est, ubi reliqvum vitæ tempus absolvit ad Annum usq; 1654. qvô, grassante per universam Daniam pestiferâ Lue, inter alios absumptus in ædibus Regentzianis vitam cum morte commutavit.

*M. Runolfus Jonæ & Paulus Halleri,*

*De hoc scripto Judicium Theologorum Hafniensium.*

Retulit mihi qvidam Islandorum, cui fidem haud-qvaqvam abrogaverim, qvod audiverit raræ & reconditæ Doctrinæ Virum Mag: Brunolfum Svenonium, Diœcesis Schalholtinæ australis Islandiæ Episcopum, ingenuè confessum, qvod magnæ admirationi fuerit sibi scriptum illud qvod hic noster Gudmundus de Polygamia conscripsit; præcipue qvod ea ætate & conditione fuisset, ut á Libris & Lectione minimè instructus esse posset, & nihil-ominus supra expectationem & institutionis rationem tam enucleatè & argutè materiam illam tractasset, ut vix Docti viri, qvi hanc Thesin adstruere conati sunt, subtiliùs aut feliciùs eam tutati sint. Ex qvo dispalescit nihil mediocre ab eo expectandum fuisse, si facultates & necessaria subsidia tempestivè consecutus esset.

*De hoc scripto Judicium Episcopi Islandiæ.*

*2. Comment: in*

Scripsit etiam Commentarius in carmen qvòd prisco idiomate

omate Wøluspa est appellatum, atq; secundariò Semunder Edda Wøluspa vel Eddam Sæmundi. ɔ: *Samundi Ænus*, qvi meâ curâ & studio Hafniæ A.C. 1673. publici juris facti sunt, de qvibus ipse Gudmundus, ita scribit inter Comm. in Wólusp. *Stroph. 42. pag. 72.* qvod rarum crederet esse in Islandia qvi hos versus intelligat; Cùm constet vix unum, duos, aut ad summum tres repertos, qvi his versibus exponendis manum admoverint. Qvod autem præsens opus Autore hoc nostro Gudmundo in Lingvam Latinam conversum sit Jure dubitari possit, nisi suppeteret hoc Lexicon Islandicum Gudmundi M. S. : Nam in prædictis Commentariis ad hoc idem Lexicon, ut suum proprium, Gudmundus aliqvoties Lectorem ablegat, & liqvet idem Wóluspæ autographum eâdem manu exaratum, qvod hoc nostrum Lexicon à Gudmundo Andreæ concinnatum, ita ut ulteriùs de Autore horum Commentariorum non sit ambigendum; præterea idem explicandi genus, modus, & ordo utrobiq; conspicitur, qvæ singula eò collimant, ut Gudmundum Andreæ Islandum horum Commentariorum Autorem solum agnoscamus.

*Commentariorum horum conscribendorum difficultas.*

Hi Gudmundi Commentarii continent metaphrasin seu translationem & qvalemcunq; expositionem Carminis hujus, qvod olim tanqvam versus Sibyllini Runicis Literis traditum circum-ferebatur.

*Commentariorum horum contenta.*

Eddæ significatio hujus Loci est nomen Libri peculiaris, qvi Mythologiam Arctoæ Gentis Pœticam in Lingva Islandica tradit: Ita dicta qvasi Matrix & origo Poeseos, atq; prima Mater vel Atavia Verborum copiæ & Phrasium.

*Eddæ significatio hujus Loci.*

Edda est duplex; antiqvior sive genuina illa Rhythmica, altera recentior sive vulgatior. Eddæ antiqvioris autor dicitur Sæmundus Sigfusionius, vulgò Frode (ɔ: *Eruditus, Sapiens, multi-scius* dictus) constans meris Rhythmis obscuris, adeò fabulis involutis, ut vix jam intelligatur à recentioribus Poetis Islandis, apud qvos prisca Islandica Lingva jam paulatim deprævata est & alienis vocibus corrupta.

*Edda est duplex, Sæmundi & Snorronis.*

*Sæmundus ubi & qvando natus & denatus est.* Hic Sæmundus natus est in Islandia An. Christi 1057, floruit Anno 1077, obiit verò Pastor Oddensis Anno Ch. 1133., in Diœcesi Schalholtensi in parte Islandiæ meridionali.

*Sæmundus qvunam, & qvâ occasione scripsit Eddam.* Cùm ante annos circiter sexcentos Islandi qvidam Christianismo nomina dedissent, Doctrina verò tam Theologica qvàm bonarum artium compræhensiva adhuc ibidem essent jejuna, partim ob Nationis barbariem, tùm qvia Papisticæ tenebræ Luci doctrinarum umbram fecerant, factum est eo tempore ut duo juvenes ex Islandia discendi gratiâ in Germaniam transierint, qvorum nomen Sæmundur & Are. Hi Coloniæ ad Mœnum Gymnasium tandem triennio freqventarunt, & bonas Literas fœliciter addiscentes profectum fecêre, spe Magistri sui uberiorem. Itaq; cùm illos in patriam revert... velle cognovit, multis modis id ægrè tulit & inhibuit, æstimans scilicet barbaram hanc gentem & qvalidam terram tam peritis viris ac tantis ingeniis fore omninò indignam; ipseq, ingeniosâ eorum operâ frui desiderans illos tardavit. Verùm illi, ut fit, ob dulcedinem Natalis Soli, à Magistrò suo arte eluso se avulserunt, tandemq; eluctantes Solum vertebant, Saxoniâ itaq; Daniâ & Norvegiâ perlustratâ domum tendunt. Sædmundus verò ille, uti erat in studiis suis diligens, ita in comparandis sibi documentis undiq; vetustissimis non fuit negligens. In Patriam igitur reduces benignè sunt suscepti Anno 1075, & ob eruditionem qvasi in gremio foveri coepére. Are qvidem Historias aliqvot & Calendarium conscripsit, munusq; Ecclesiasticum administrandum sibi recepit: Sæmundus verò Latifundium suum hæreditarium, in australi tribu Islandico *Odda* vocatum, occupavit, ibidemq; Scholam qvalem-cunq; initians Literas docere & Libros conscribere incepit. Inter cœtera multa Annales seu Chronicon ab orbe condito usq; ad sua tempora retexens, Latinis ut plurimum Literis idipsum exaravit: Cùm antea in usu tantum Runicâ esset Literaturâ. Literam v. ex Runicis necessariò retinuit, Alphabeto Latino ad finem illam subjungens, ne illius usus & valor peculiaris ab idiomatis commoditate periret. Idem

sæmun-

Sæmundus Fabulas Pœticas, seu Schialdricam hujus Nationis Mythologiam ex Runicis documentis illustratam Latinis Characteribus descripsit, magnâ Pœtarum utilitate, eundemq; librum *Eddam* vocavit, cujus initium est hæc Wøluspa. Postea alius ex eadem Schola prodiens Islandus sub Rege Norvegiæ Haqvino Juniore aliud opus de hoc negotio absolvit, cui nomen erat Snorro Sturlußøn; & cùm idem in suo Libro traderet, *Eddam* qvoq; appellavit istum.

*Snorro Sturlæ qvisnam & qvâ occasione scripsit Eddam.*

Edda Snorronis est fons & fabulosum fundamentum, unde veteres Islandicæ gentis Rhythmistæ, (dicti Scaldrer) obscuras rerum appellationes & copiosos Poëticæ elegantiæ modos extraxerunt.

*Eddæ Snorronis descriptio.*

Snorro hic filius sturlæ, fuit vir eximius, prudens eloqvens, & ob singulares virtutes atq; authoritatem summam Islandiæ (sc. An. 1215. 1222.) Nomophylax. Is inter antiqvos primarios Poëtas Islandicos numeratur, qvi tempore qvatuor Norvegiæ Regum (sc. Sverronis, Ingebardi, Hageni Hageni filii, & Hageni cognomento Galin/) item tempore Ducis (dicti Skule) Poëtam egit. In hujus Snorronis potestate magna Islandiæ pars fuit, qvam ejus fratris gnatus, nomine Torskafall/ Regi Hagenio postea subjecit. An. verò 1219. validâ Navi ad Norvegiam delatus, publica Islandorum negotia, qvæ susceperat, benè administravit & confecit, idq; tanta prudentia, ut Anno seqv. 1220. ab Hageno Hageni, Rege, missus sit Legatus cum auctoritate de transactione facienda inter Regem Norvegiæ & Islandos. Anno 1238. in aulâ Ducis, nomine Skule/ ut Poëta Islandus, inter alia carmen qvoddam de Odino cecinit, qvod Duci prædicto ita placuit, ut instructâ & ornatâ ipsius Ducis nave Imperii Regis Hageni 25. à Vißor filio Thorvaldi in loco qvodam, Rogeholt dicto, interfectus est, relictô unô filiô, cujus nomen erat Wræcke/ qvi Anno seqventi ad Regem Norvegiæ exul venit.

*Snorro qvisnam qvalis vir qvando & qvomodo mortuus est.*

Prædictus Sæmundus inter alia asserit An. Chr 1048. hyemem intensissimis glomeratam fuisse pruinis, tantumq; gelu, ut Feræ inter Norvegiam & Daniam per glaciem transcurrerint, sicuti

*Sæmundi relatio de glacie inter Norvegiam*

*& Daniam An. Chr. 048.* *ficuti patet ex Annal. Island Gislai Olai qvondam Episcopi Schalholtensis.* Res ferè inauditi exempli & creditu difficilis: Interim aliud adhuc Exemplum legitur in Historiographo nostro Danico Arn. Hvitfeldio *hist. Dan. pag. 309.* Anno enim 1296. rerum apud Danos potiunte Erico VII. cui cognomen Men ved/tam acris fuisse bruma memoratur, ut vastus ille Oceani sinus, qvi est inter Norregiam & Schagæ promontorium, ita gelu constrictus fuerit, ut ingens populi multitudo Opsloâ Norvegiæ in adversam Cimbriam septentrionalem per glaciem pedes transmitteret.

*Eddæ Sæmundi partes tres: Wøluspa / Haavamaal & Rune Capitule.* Edda Sæmundi pluribus constat Capitibus, qvorum qvodvis Cantilena est, diversis metri generibus exarata; sc: Woluspa/ Haavamaal / & Runa Capitule.

*Haavamaal & Rune Capitule.* Wøluspa sive Wøluß Spa ɔ: *Sibyllæ vaticinium, Sibyllini versus. Vola* enim fuit Sibylla; dicta Erythræa, à Civitate minoris Asiæ sic vocata, *testibus Peucero in Θεομαντεία, & Decimatore in Syl nom. proprio.*

*Wøluspa Etymon & significatio.* Notandum præterea est Voluspas (ɔ: *Volæ gnomas*, sive *vaticinia*) fuisse duplices; sc: majorem & minorem. Minorem tantùm habemus; Majorem v. in Edda aliqvoties & alieno tenore citatam audiri licet, cum Fabulæ enarrantur.

*Vóluspa duplex major & minor.* Sibyllini hi versus, fere perpetuum rerum ordinem servant. Agunt enim 1. de Mundi creatione, 2. de Satyrorum creatione, 3. de primorum hominum creatione, 4. de Parcarum nominibus & muneribus, 5. de Loconis supplicio, 6. de Inferno, 7. de Seculis novissimis, 8. de Mundi fine, 9. de terra nova, 10. de loco beatorum.

*Vóluspa qvibus de rebus agit.*

*Vóluspa qvale Carmen.* Carmen hoc, est Metrum plerumq; Tetastrophon Dicolon. Qvantitas qvidem in pedibus non est observanda, juxta Latinæ aut Græcæ Prosodiæ regulas, sed ex proprii Idiomatis natura. Accidit autem ut nunc unam longam syllabam nunc duas breves eundem locum suppleat & pedem constituat.

Præterea in qvolibet versu duæ Literæ initiales regimen Harmoniæ gerunt, ut in omnibus nativæ hujus Lingvæ poematis occur-

occurrit. Perinde autem est si hoc negocio una vocalis alterius vicem subeat, nam idem fit sonus. Nonnunqvam tres initiales hanc harmoniam perficiunt, atq; id sæpius, ut sit elegantius; ut in hoc metro: Meire og minni møgu Heim-dallar. Hoc M.ter præsidet dictionibus, qvò faciliùs currat metrum suo sono. Vocales verò diversæ hic sunt. Ar war allda þa ymir bygt. Hic a & y præsidet, qvod eodem recidit. Versus qvilibet est Hendecasyllabus Throchaichus ferè natura, constans. 4. pedibus. Liberum autem est nunc Dactylum, nunc Spondæũ, modo Trochæum ponere, nisi in fine sit tantum Trocheus. Aliqvando in fine Strophæ est una suspensa, unde Acatalecti cum fit carmen.

Eddæ Sæmundi caput secundum vocatur Haava-maal ɔ: Islandicè *celsus* vel *sublimis Sermo.* *Haava-maal*

Continet præcepta Ethica & sana consilia præsertim circa divertentium hospitia, ubi Odini iter ex Turcia per Saxoniam in Cimbriam & Sveciam, uti successerit, obliqvè enarratur. *qva de re agit.*

Eddæ hujus caput tertium appellatur Runa Capitule ɔ: *Magia Runis expeditæ caput*, qvod de Magia Odini, in qvo octodecim enumerantur genera Runarum Magicarum, qvarum mirandi qvoq; recensentur effectus. Runa Capitule *qvâ de re agit.*

Tria hæc Eddæ Sæmundi capita cum versione Latina & Notis An. 1665. à me primùm in Lucem producta sunt. Woluspa/ Haavamaal & Rune Capitule *editio prima.*

Præter prædicta Eddæ Sæmundi capita reperiuntur adhuc sedecim; sc. *1.* Grimnis-mál ɔ: *Grimni cantilena*; *2.* Skirnis-for ɔ: *Schirneri iter*; *3.* Hamars-geimt ɔ: *Jovis mallei recuperatio*; *4.* Loka-glepsa ɔ: *Locæ carmen probrosum de omnibus Diis*; *5.* Vafþrudnis-mál ɔ: *Vafthrudnis cantilena*; *6.* Aulvis-mál ɔ: *Omniscientis cantilena*; *7.* Brinhilldar-galldur ɔ: *Brinhildæ carmen magicum*; 8. Helga-qvida hundingia-bana ɔ: *Helgonis carmen qvi Hundingos interfecit*; *9.* Helga-qvida Haddinga-Skada ɔ: *Helgonis carmen qvi Haddingis nocuit*; *10.* Grou-galldur ɔ: *Grouæ carmen Magicum sive incantatorium*; *11.* Gimis-qvida ɔ: *Gimi carmen*; *12.* Grotta-Sangœr ɔ: *Grotti cantilena*; *13.* Gudrunœr qvida Giuka-Dottur ɔ: *Gudrunæ carmen (qvæ fuit) Giuki* *Eddæ Sæmundi alia adhuc 16. Capita, qvæ necdũ edita sunt, una cum Sæmundi Præfatione.*

*Giuki filia*; *14.* Sigardar qvida Fofnis-bana ɔ: *Sigundi carmen qvi Fofnerum interfecit*; *15.* Brinhilldar Liod ɔ: *Brinhilderi carmen inconditum*; *16.* Hindlu-liod ɔ: *Hindlæ carmen inconditum.*

Hiſce 16. Capitibus præfixa Sæmundi Præfatio Rithmica, qvam vocat Solar-Liod ɔ: *de Sole carmen*; in qva agitur *1.* De Morte; *2.* De nativitate hominis; *3.* De Mundi vanitate; *4.* De modo moriendi unà cum mortui hominis deſcriptione; *5.* De migratione animæ poſt mortem; *6.* De variis pœnis infernalibus; *7.* De migratione animæ ex Purgatorio in cœlum; *8.* De Avaritia & Voluptatibus qvæ regunt Mundum. Vocatur verò Solar-Liod/qvia in hac præfatione multoties variisq; modis *Solem* infert non ſolum in nativitate hominis, verum etiam in ejus vita, morte, & ſtatu poſt mortem.

Qvi pleniorem & diductiorem Eddæ Sæmundi & Snorronis cognitionem habere deſiderat, legat Præfationem meam ad Lectorem, præfixam Eddæ Islandorum Snorronis Islandicè Danicè & Latinè à me editam Hafniæ 1665, nec non Præfationem ad Wóluspam etiam à me An. 1673. divulgatam.

*3. Lexicon Islandicum.* Ante hunc noſtrum Gudmundum Lexicon qvoddam Islandicum conſcripſit Magnus Olai, olim Scholæ Holenſis in Islandia Moderator, poſtea Eccleſiæ Laufanienſis in Boreali Islandia Paſtor, Poëta in Latina & Islandica Lingva feliciſſimus, qvi non ſolùm Eddam Snorronis primùm in Sermonem Latinum tranſtulit idq; An. 1629. juſſu Thorlaci Sculonii, Diœceſeos Holenſis in Islandia Epiſcopi, verùm etiam non injucundum de Pœſi Islandica ſcripſit diſcurſum. Hunc Magnum Olai ſubinde conſuluit antiqvitatum Danicarum, ut ſolus, ita peritiſſimus Myſta, Olaus Wormius, cui per aliqvot annos jam unam, jam aliam partem Lexici Runici, in ſolius prædicti Wormii uſum elaborati, indigeſtam tamen & interpretatione fidâ indigentem transmiſit: Qvas Magni Olai Schedas poſt ejus obitum prædictus Wormius collegit, omnia in ordinem redegit, auxit, locupletavit, & qvæ interpretatione Latinâ indigere videbantur, togâ Romanâ donavit ediq; curavit Hafniæ

in

in Fol. An. 1650. ſub Tit: *Specimen Lexici Runici.* Hoc autem vocum omnium priſcarum completum non eſt Lexicon (qvod alii in Islandia tentaverunt) ſed ſolummodo maxime obſcurarum Poeticarum, & talium in qvibus ipſi Islandi antiqvitatum imperiti, aliqvando hærent, & continet non ſolùm Vocabula verùm etiam Res, qvæ in priſcis Hiſtoriis & Pœtis Islandis, raris, non editis, & in Archivis qvorundam Doctorum in Islandia M. S. S. latitantibus, occurrunt.

Extant qvoq; in Islandia Gudmundi Rithmi Islandici de Jove Cretico, capite Gorgonis, nec non Ægide, de qvibus apud Islandos non incelebris eſt hiſtoria, in qvibus tantus eſt genius tantaq; inveniuntur ornamenta poëtica, ut antiqviſſima Islandiæ poëmata, non ſolùm adæqvare, verùm etiam ſuperare, videantur. *4. Rithmi de Jove Cretico, capite Gorgonis & Ægdie.*

Tandem plura elucubraſſe perhibetur hic noſter Gudmundus, qvæ aut interciderunt, aut abſcondita ad huc jacent. Nam Hafniæ antiqvitatibus patriis ut & tribus Lingvis Cardinalibus inprimis ſtuduit, nactus Patronos eximios. Ex nobilitate Illuſtriſſ. Heroem Dn. Joachimum Gerſtorphium Seren. Reg. Maj. Aulæ Magiſtrum Magnum & Regni Senatorem Primarium, qvo jubente multa, imò & hoc Lexicon Islandicum, conſcripſit, tanti Herois munificentiâ magnopere levatus: Ex ordine Eccleſiaſtico inter cœteros Ampliſſimum & Celeberrimum Virum Dn. D. Ola. Wormium, qvem tota Islandia, tota Dania, imò tota ferè Europa plurimùm veneratur. Nam ejus antiqvitates Danicas, ſc. *Literaturam Runicam, Lexicon Runicum, Monumenta Runica cum Additamentis, & Faſtos Danicos* citant & laudant in ſcriptis ſuis, *Ambroſius Rhodius in Diſputationibus in Idem Petri Severini pag. 75, Angelicus Aproſius Vintimiglia in la ſphera Pœtica, Anton. Thyſius de celebribus Rebuspubl. pag. 305, Arngrimius Jonas in ſpecimine Islandiæ paſſim, M. Arnold. Severinus in Zoographia, Beverovicius in 2. parte* Staß der vngeſundtheit. *p. 216., Boxhorn. in reſponſione de Nehelenia, Cabeliavius in Epiſtolis crebro. Caſp. Bauhinus in prodromo & Pinace, Chriſt. le Blond in deſcript. Grönlandiæ,*

*5. & plura alia.*

*Patroni.*

*1. Joachim. Gerſtorphius.*

*2. Ola. VVormius.*

C *Caſp.*

*Casp. Danbvvert in descript. Halsatiæ, Fortunius Licetus in tr. de anulis, Gothofredus Heinshumius Jesuita, Georg. Philip. Hasdosfer in specimine Philologiæ Germ. passim, Gualterus Charleton in spiritu harmonico, p. 102, Gilbertus Vœsius in exercitiis, Gvilhelmus Sommerus in glossario addito scriptoribus Angliæ ad vocem Ordalium, Hermannus Watson in disp. Rostb., Henricus Ernst. Jac. Phil. Tomasinus Episcop. Æmoniensis de Tesseris, Joan. Cunradus Dithericus in diatribe fol 360. Joan. Daniel Horstius in manuduct. ad studium Medicum, Joan Rhodius de Acia & in notis in Scribonium, Joan. de Laet de gemmis & & lapidibus, Joa. Qvinstad disp. de funeribus Roman., Joa. Meursius in Ælnotho, Joa. Pontanus in descript. Daniæ, Joa. Bazius in inventario Ecclesiæ Sveo-Gothicæ, Joan. Monarius in Quæsti. Cardinal., Joan. Seldenus de mare clauso lib. 2; item de Jure Naturæ, Ioa. Anton.* von der Linden *de scriptis Medicis, Loccenius in antiq. Sveo-Gothicis passim, Martin. Zeilo in Descript. Daniæ, Mich. Wexionius in epitome Sveciæ lib. 9. Cap. 2. & passim, Opitius in Animadv. ad Rhitmum de S. Anone p. 20., Ol. Borrichius de cabala characterali passim, Pet. Scriverius in tr. de origin. typograph., Paul. Egardus de aureo cornu, Pigetta Italus, Peirerius in descript. Grönlandiæ Gallicè, Thom. Bartholinus passim, Thom. Broun in Psedodoxia fol. 137., Thom. Bangius in Philolol., Thom. Reinesius in defensione p. 134. 67., Vossius de Idololatria & Arte Grammatica & multi alii.*

Inter prædicta monument. Runica *lib. 5. pag. 344. & seqq.* refert noster Wormius aureum illud cornu qvod An. 1639. paupercula qvædam puella Dana, in Diœcesi Ripensi invenit, & jam inter κειμήλια augustiss. Regis Daniæ Christiani V. asservatur; cujus historiam prædictus Wormius ibi inserendam duxit, qvem in nobile aurei cornu commentarium Wormianum senili hac venâ veneretur Arngrimius Jonas Islandus:

*Dilectum*

*DElectum Natura parens, habuisse videtur*
*Artis & Ingenii (qvæ multis ipsa benignè*
*Affundens dederat) dum Terræ viscere aperto*
*Extulit augustum & nullis imitabile CORNV,*
*Qvò se pars hominum PRÆSTANTIOR exerceret*
*Divino afflatu si posset gnava tueri*
*Miraculum Mundi, mille Emblematibus auctum*
*Et solers tectas investigare figuras,*
*Tale, qvibus Cornu, qvod præsentatur abundat.*
*Ast ut sollicitè talis DELECTVS habetur,*
*Prodiit è multis NATVRÆ mysta verendus*
*WORMIVS & SPARTAM de nutu PRINCIPIS in se*
*Mente alacri, secreta movens tractansq; recepit.*
*Qvid primùm hic mirer? totum mirabile Cornu est,*
*Artificis docti confiatum marte suopte*
*Mole sua pretioq; valens auroq; coruscum;*
*Immo aurum penitus, qvo non præstantius ORBIS*
*Suppeditat Terris fluviisve feracibus ullis.*
*Priscorum hinc Regum MIRA est SAPIENTIA Cornu*
*Sculptilibus variis ornans qvibus ETHICA SCITA*
*Elucent TACITE, magis ac si mille LOQVANTVR*
*Hæc MIRANDA qvidem: MIRVM magis arte Sybillæ*
*Præstat IMAGINIBVS (trutinando cuncta) VALOREM*
*WORMIVS, Hesperiis Eoisq; inde STVPENDVS*

*INTERPRES; Divumq; hominumq; summa Voluptas*
*Ingenio ætheriis Geniis vix impar habendus.*
*Cum titulis magnum est Emblemata prodere dextrè*
*Absq; his; ast majus nullo indice divite VENA*
*Eruere abstrusos sensus: Quod WORMIUS unus*
*Effecit summa cum laude styloq; DECENTE;*
*Immortale sibi sic nomen conciliando*
*Cum cœlo æqvatis iturum passibus ævum.*

Hæc breviter in memoriam & encomium nostri Gudmundi,

cui sit Terra levis.

---

*Ad Nobilisſ. & Amplisſ. Virum*

## D. D. PETRUM RESENIUM,

Antiqvitatis Patriæ vindicem unicum.


EN iterum redeunt Runarum secula, priscæ
E tenebris surgit gentis avitus honor.
Hactenus æternâ veteres caligine pressi,
Qveîs ope RESENII vita salusq; redit.
Edda silebatur, Lex Aulica Norrigiorum (a)
Danorumq; (b) satis nocte sepulta fuit.
RESENIUS traxit dias in luminis oras,
Et, nece depulsâ, vivere jussit eas.

(a) N. Hirdstraa. (b) Vitherlags-ret.

Sub

Sub manibus veteris ſunt atq́; Inſignia (c) gentis,
Antiqva & curis oppida ſcripta novis. (d)
Qvi mores, regimen, populi & primordia noſtri,
Qvæ fuerint urbes, mœnia, templa, domûs.
Hæc & plura dabit. Nunc accipe Lexicon, abs qvo
Irritus incepti ſcripta vetuſta legas.
Qvis Scaldrosq́;, Sagasq́; Qvedasq́; intelligat aptè,
Hærentem ni mox Lexica docta juvent,
Islandi, Dani, Sveci dant Lexica, noſter
Reſenius pulchrô fine coronat opus.
VORMIUS incepit, reliqvi ſunt rite ſecuti;
RESENIUS punctum ſolus at omne tulit.

(c) Vaaben-bog.
(d) *Theatrum Daniæ, ſive Atlas Danicus cum figuris æneis.*

---

Anſk / Svenſk ok Nordſk ej deert det gamle Sprog behagde
Den fordum Rune-ſtav (e) de derfor ſlet af-lagde;
For Sprogets Undergang før kemped hver og een/
For dets tilvext og liv nu ſtreber hver igien.
Ja nu paa ny hver Mand af Danſke/Svenſke/Nordſke
Vort Sprog uddyrke vil/ og alting nøj udforſke.
Jiſlænderen var førſt/men Danſk ok Svenſk hialp til/
Sidſt Reſen det fuldkom / for all' har vundet Spil.

Pe. Septimius.

(e) *Litera Runica.*

## Aliud Islandicum.

RESEN gløsa eg Recka hrøs/
Ez Runer sinum Bruñi från/
Og Asa målid allt J liøs/
Jtum færer Honum mæz/
Eingiñ verduz uppa stord/
Under sydur lagaz grund/
Þviad hañ land og lyda kind/
Leider å netta vegar skeid.
SKRJFADJ VORM hid skæra stef/
Og skiznis bauta steinalaut/
Leitadi upp um lyda møt/
Og liøsum veitti kiempum hrøs/
Eñ RESEN øllum reckum prijs/
Røgners ættar veiter trætt/
Þar med lønd og lyda kind/
Leider å rietta vegar skeid.
RESEN Jsa frosiñ folld/
Og fromd Norska medur tøn/
Prise og Danska giøzføll grund/
Þvi gamla måle utañ tål/

lætur

Lætur koma á lydamøt/
Er losdun gaña kiætti rañ/
Þar med lønd og lydakind/
Leidir á rietta vegar skeid.

*Hæc pauca Islandica*
*subtexit*

Theodorus Thorkillius Widalinus,
Islandus, Arngrimi Jonæ Nepos.

*Hafniæ 10. Mart.*
*An. 1683.*



Ne

Ne vacet pagella, hæc ex Verelio ſubjungere libuit.

## *OLAVS VERELIVS*

in notis ad hiſtoriam Gothrici *pag. 28. & 70.* citat GVDMVNDVM ILLVGASON interpretem verborum veterum Legum Islandicarum, qvæ Gudmundi interpretatio erat paucarum pagellarum fragmentum MS., qvod prædictus Verelius habuit à Studioſo qvodam Islando, ipſiq; cùm unum vel alterum, negotio qvod tunc ſub manibus habebat inſerviens, excerpſiſſet, reddidit.

# DUORUM ISLANDIÆ QVONDAM LUMINUM EFFIGIES qvorum in præmissa præfatione fit mentio.

## I.

GUDBRANDI THORLACII Islandi 22. Episcopi Septent. Holensis Islandiæ, qvi non solùm inchoatum Religionis opus à prædecessore Olao, A.C. 1568. defuncto, sibi relictum, ducente Spiritu S. optimè ad eam qvam dedit Deus potestatem deduxit, in asserendâ veritate Evangelica & Papisticis Superstitionibus abrogandis, verùm etiam primus Sacram Scripturam in Lingvam Islandicam transtulit suisq; sumptibus An. 1579. in Islandia edi curavit in Folio cum Figuris, qvas ipsemet exsculpsit. Obiit A. C. 1627. 20. Jul. A. Æ. 85. A. Episc. 56.



Aſpice GUDBRANDI Venerandi Præſulis ævo
Et meritis ſculptâ vivos in imagine vultus
TORLACII, patriæ qvi dici jure meretur
Immortale decus: nam fidus EPISCOPUS aras
HOLENSES rexit per multos gnaviter annos,
Aſſiduo nulli cedens vigiliq; labore.
ISLANDI ſermone legunt qvod ſacra paterno
BIBLIA, qvod divina ſuis monumenta LUTHERI,
Et manibus verſant aliorum ſcripta virorum
Aurea, TORLACII ſtudio curæq; fideli,
Sumptibus & gravibus debent: benefacta ſilebit
Hæc nunqvam pia poſteritas, & poſthuma fama.

*In conſtantis amoris teſſeram*

M. Georgius Dedekennus,
Eccliſiaſtes Hamburgenſis
appon.

---

# I I.

ARNGRIMI JONÆ WIDALINI Islandi Eccleſiæ Melſtadienſis in Islandia An Chriſt. 1642. Paſtoris, vicinarumq; Septentrionalis Islandiæ Præpoſiti, Viri in Hiſtoriis & Antiqvitatibus Islandicis verſatiſſimi, earumq; vindicis acerrimi, & hinc multis ſcriptis clariſſimi,

ſc.

*ſc: Commentariô de Islandia, Crymogeâ rerum Islandicarum, Anatome Blefkenianâ, Epiſtolâ defenſoriâ de Islandia, Apotr. Calumniæ nonnull. Islandorum,* Αϑανασία *Gudbrandi, ſui Fautoris, & Amici eximii, Specimine Islandiæ, Judicio de diviſione vocalium, Diſcurſu de Literis Runicis, Logogryphô, Epiſtolâ ad Steph. Stephan. Hiſtoriogr. Reg. Dan., Soliloqviis & Concionibus Martini Hammeri Islandicè ipſo interprete, tractatu de Grönlandia & aliis. Obiit in Islandia Senex, ſed qvo Anno mihi adhuc non conſtat.*




Nota ad ejus Symbol. *Ingulfus primus Islandiæ habitator & cultor habuit patrem nomine* Ørn (ↄ: *Aqvilam*), *Ducem Fyrdafylſenſem in Norvegia.*

Si

SI lubet ARNGRIMI vultus ac ora tueri
Exhibet hæc Lector ſculpta tabella tibi:
Ingenii ſummis hunc tellus patria donis,
Conſpicuum meritò ſuſpicit atq́; colit.
Optat & incolumem multos florere per annos,
Aſpira voto numine CHRISTE tuo.

*Amoris & honoris ergò*


M. Georg. Dedeken. fac.

---

## *Aliud* OLAI WORMII.

EVge ARNGRIME decus perenne Terræ,
Cui nomen Glacies & Algor olim
Cœli, non animi tulit politi;
Alcides, domitorq́; magnus horum
Qvi fruſtra patriæ tuæ vetuſtos
Annales veterumq́; ſcita patrum
Niſu, tollere non probo, laborant;
Sannis innocuam aut gravare gentem.
Te Islandi Boreæq́; mitioris
Extollant populi Tibiq́; jure
Applaudant, meritis tuisq́; digna
Aptant præmia FAMA HONORq́; diu.

Horum duorum celeberrimorum vita à me prolixè deſcripta eſt in Atlantis Danici part.3. cap.2. qvod eſt de Islandia.





Prima Alpabeti Litera, Vocalium etiam Caput, in lingva ſeptentrionali trifariam pingi ac proferri deprehenditur. Duas præterea Diphtongos conſtituere agnoſcitur. Datur namq; 1 A purum, ſimplex tenue ſeu breve, Runicè ᚼ pingi, ar appellari ſolitum; ut in his vocib⁹, Mar o: *Eqvus*, Bal o: *vagina*, magur o: *macer*, am̃a &c. Qvod Ebræorum Patach reſpondere qvidam volunt. Exſtat 2 A longum, craſſum ſeu combinatum, Ebræorũ Kametz non abſimile, Runice ᚼ differentiæ cauſa depictum nonnunqvam reperitur: veluti eſt A in his vocib. Mår o: *parus avis*, Bål o: *flamma*, Mågr o: *affinis* &c. Veteribus enim bicolon iſtud a ſimplici ſuprapoſito placuit diſtingvere, veluti in Dictionibus jam allatis poſui. Neoterici vero Dani duo A, ut Naade / Raad / malunt pingere; adeoq; A ante A ordine alphabetico diſponunt Qvod qvippe priori modo ſcribendi vix accuratius in hoc opuſculo ſeqvi neqveo, verum ä bis punctatum retinere malim. Binis n: literis (a a) reclamat, tum Veterum in manuſcriptis ſingulis Auctoritas, tum diverſa pronunciandi ratio. Du o namq; A dues mihi non conſtituunt ſyllabas; ut jaa, Liaa/ Snaa &c. Aliàs cœterarũ inſuper Gentium exemplo caret, ſive Cardinalium Lingvarum Orthographiam, ſive earum Dialectos inſpiciamus. Neq; n Romani, à qvibus qvas nunc habemus literas mutuati ſumus geminum a a in una Syllaba agnoſcunt. E: g: a in *Stàre* & *Dàre* ſimiliter pingunt ſic in *làtus* & *làtet*. &c.

Ob imperitiorum autem faciliorem captum A combinatum hoc modò aa adhibitum, potius probandum videtur; ita enim interdũ ſed rarius apud veteres, recentiores v: crebro occurrit; ſed cuiq; ſuum eſto integrum. Ego ut monui ä punctulis ſignatum elegi.

3 A Inflexum ſeu mixtum (dicerem breviſſimum) datur; Ebræorum Hateph Pata vel Kamez chatuph comparandum. Vetuſtiſſimi hanc Syllabam tenui A ſimpliciter ſcriptam vel una virgula notatam, lectori reliqvere dignoſcendam; ut Sva, tva, hanum, mannum, lagum, &c. Accuratiores verò ob captum vulgi, av vel ꜳ pingere voluerant; ut tꜳ/ lꜳg/ fꜳdr vel favdr; Qvaſi eſſet dipthongus brevis. Hodierni tandem per o: inciſum exarare ſolent. Sic Ø: ut tuø/ hønum/ Løg/ Høll/ &c. Qvod inſuper habendum, apud eos, qvibus de ſono

constat. Syllabam v: hanc non ad o, sed a breve esse referendam, docuerat nos tum Manuscriptorum fides, tum casuum declinationes & derivationum experientia; nam a breve in hanc sæpe mobile est & vice versa; Afia Avmu: in Genit: Biørn: Biarnar &c: Multa alia veluti Grammaticationes nostratium luculentius ostendunt. Placet igitur (ut orthographiæ studiosos nos exhibeamus) non per Ø. qvod ancipitis est soni & heterogenium ab a, sed veteri modo, *a*: vel av, in seqventibus operam absolvere; jnterea, si Ø occurrit, qvid significet notavi, nempe a inflexum uti Danis in vocula Søn/ Løn &c.

Trinam vero hanc distinctionem, ob æqvivocationem vitandam & alias nimis illudentem à, mordicus retinemus; aliud n. est Magr: *macet*: qvam Mågr: affinis: aut Magr: filius, sic bal: vagina bål: Bøl: (flamma) malum &c. å Nostrũ præterea duplicem incipit Diphtongum œ ex. a & e: vel a & i conflatam, qvam apertis ita labijs pronunciamus, ut utriusq; literæ plena habeatur ratio. More forsan Græco in vocibus *καὶ, παῖς αἰδὼς* & similibus; in qvo Britanni etiamnum nobis cum faciunt; ut æde/ ræbur/ non redr/ Sæler non Seler. Prius n: est salutationis vox, posterius focarum seu canis marini, in plurali Nomen & appellatio. Sic aliud est Hæstr *altissimus*, aliud Hestr *Eqvus* &c. 2. Diphtongus ex a & u conflata nonunqvam per ou signatum certo modo picta reperitur: ut Østr/ Høðr. Hanc etiam ita proferimus, ut tam a qvam u, sed junctim exprimamus: ut daude mors, audæfe *opes*. &c. Dani propemodum, sed lenius in suis vocibus nød/ død efferunt istam. Qvibusdam placet aliam ab o & u compositam addere, qvam sic pictam antiqvitus repperimus, ouinr: *miser*, ouifuisse *idem*, & ouga *oculus*, verum vero qvia Sonum præstat voci eundem, & jam in usu esse desiit facilis hanc omitto, & *au* adscribo eam. Recognosco interim adhibitam fuisse, ubi subest ע Ebræorum. Inter Runas Dipthongus hæc sic pingebatur ut vel utraq; litera poneretur integra, vel ita ᚢ & ᛅ Præcedens vero ᛅ vel ᚼ aut ᛯ notabatur. Sed de Runis tutissimè consulatur Opus Clarissimi D: O Wormii de veteri literatura Danica. Runarum enim hic meminisse juvat, sed præcise de illis tractare, non est hujus fori vel instituti.

A. Præpositio, utriusq; casus, Accusativi nempe & Ablativi: Ferè idem ac Latinorum *in* (positivum non *στερητικὸν*, tunc n: in o vel v mutatur



tatur

tatur) Græcorum εἰς, Ebræorum אל (unde vocula, abjecto l, desumta videtur) significat o: eg true á Gud/ *credo in Deum*, á himne *in cælo*, á Jørd/ *in Terram*. Nonnunqvam in compositione, veluti ἀ Græcorum, vim intendendi obtinet, ut: áfall/ *impetus*, velut ἀτενής, *intentus*, sic áfeingt/vel fortis potus, ánaud *magnum malum*, ávextur: fructus (secundarius) áfiadur: insultuosus. Sed observetur infra, in Dictionibus nonnullis, & usu lectionum, ut ábagge/ onusculum super additum & ejus modi.

